

raſti. Quemadmodum uero parentibus, liberis,  
nepotibus, aliisque, neceſſitudine coniunctis, omnes  
fortunae iniuriae inter ſe ſunt communes, ſic in rebus  
proſperis, et ad uoluntatem fluentibus, eodem uni-  
us uelut gaudii debere participes eſſe, exemplo de-  
monſtrauit ſuo Auguſtus, qui non ſolum maxima  
ipſe affectus eſt uoluptate, ſed nepotem etiam ſuum  
in ipſius conſortium aſciuit. Impium itaque fo-  
ret, ſi hanc, a fortuna mihi oblatam, occaſionem,  
grata mente non exciperem, cum praefertim hic di-  
es, quem, ſuperioribus temporibus, grauiffima ob  
negotia, celebrabas Dresdae, V Vittebergae, non ſine  
maximo tuorum gudio, TIBI illuceſcat. Quod ſi  
enim in me collata beneficia mecum reputo, aut le-  
uiter modo perſtringo, tanti eſſe ea, intelligo, ut,  
qua ulla remunerari ratione poſſim, totus igno-  
rem. Cum tamen, praecipiente philoſopho, in  
compensandis atque remunerandis beneficiis, nihil  
grato animo ſit pulchrius, accipias, quaefo, uota,  
flagrantiffimae pietatis plena, quae, pro ſalute Tua  
atque incolumitate, nunc ego nuncupo, obſequentiſ-  
ſimus TIBI, itemque inter eos, qui reſtant, natu maxi-  
mus, nepos. Seruet TE immortalis Deus, qui ab omni  
morborum impetu, praeterito anno, TE non tan-  
tum defendit atque protexit, ſed multis etiam be-  
nificiis cumulauit, ſeruet TE, inquam ſoſpitem  
atque incolumen, ut, V Vittebergam hanc ha-  
bere ſenes, intelligant obtrectatores ipſius, quorum  
malitioſas ſane calumnias, elegantiffima diſſertatione,  
Academiae nomine, in memoriam Diui M. Georgii  
Michaelis Caſſai ſcripta, refellit Vir Excellentiffimus,  
Georgius Guilielmus Kirchmaierus. Seruet TE in Rei-  
publicae emolumentum, indigentiumque TVAE o-  
pis ſolatium, ut rebus illius feliciter gerendis, TVAE-  
que Familiae ſplendidiſſimae, diu praeeſſe poſſis. Quae  
pauca ſi impetrauero, ſaepeius TIBI, de annis ΚΑΙ-  
ΜΑΚΤΗΡΙΚΟΙΣ, ex animi ſententia ſuperatis,  
gratulandi occaſionem lubens  
laetusque nanciſcar.

Stadtbibliothek Chemnitz



B 084532 4